AD

ALEXANDRVM MIDANVM PHILEREMVM

IN FVNERE PETRI EIVS FILII

FEDERICI CERVTI VERONENSIS

CARMEN.



VERONÆ,

Ex Typographia Hieronymi Diſcipuli,

M D LXXXVIII.

ERgo tu lacrymis locum relinques?
Impulſus nimio dolore, nati
Ob mortem, inſimulabis ergo fata,
Æque quum iubeant obire quemque?
Tu nos aſſiduis tuis querelis
Voles exanimare? non Deo eſt hoc
Amicum; ratio nec id requirit.
Filio, fateor, pater tu amando
Es orbatus, & vnico; vnice quem
Amaſti merito impotenti amore:
Vis namque ingenij vigebat illi:
Magnam ſpem dederat ſui: bonarum
Artium ſtudioſus excolebat
Et mentem, atque animum bonis camoenis.
Forma erat puero ſatis venuſta:
Superſtes tibi ſi extitiſſet atque,
Qui ſuæ columen domus, decuſque,
MIDANAM ſobolem tuliſſet aſtris.
Hæc, inquam bona magnus ille regum
Rex nato dederat tuo; addo plura:
Bonis moribus omnibus placebat:

Et inter ſimiles ſui probatus
Vixit : nullibi non tibi obſequutus ;
Iucundus patruo ; facetiarum
Plenus ; plenus & omnium leporum.
Quid tum? dic, age, quid tibi eſt ademptum?
Primum conditione naſcimur nos
Hac cuncti, moriendum vt omnibus ſit.
Nec nos diuitiæ Orci ab ore poſſunt
Auari eripuiſſe : non ſuperbum
Genus : gratia principum aut virorum :
Non facundia. Sis licet peritus
Hoſtiles valida manu cateruas
Prorſus ſternere, tu tamen cruenta
Mortis effugies acuta numquam
Tela : vindicat hæc ſibi volentes,
Nolenteſque : Senes necat ; iuuenta
Florem proterit ; nec mares videre
Curat ; fœmineum genusq; ſpernit.
Deinde, quum Deus hæc habere donet
Ad tempus bona ; quorum amore cæco
In terris miſeri tenemur omnes ;

A

Cur hæc non repetat, ſibi placebit
Si quando? poteris Deo obſtitiſſe?
Vi omni debuerisne deſtitutus
Congredi quoque cum potentiore?
Hoc durum eſt nimis, impium nimiſque,
Quòd ſi rectius hæc videre tentes,
Quæ nos ſuſpicimus, minoris ipſa
Æſtimabimus: atque poſſidere
Multa, nil aliud, graues dolores,
Curas & niſi ſentiemus eſſe.
Natis dulcibus at boni parentes
Gaudio exiliunt, ſibique plaudunt;
Tunc, quum præcipue viam ſequuntur
Rectam; ipſi celeri graduque currunt,
Æternum vt decus obtinere poſſint.
Belle hæc omnia, ni ſerena nigris
Turbarentur; & orta mox procella
In Syrtes traheret ratem æſtuoſas.
Verum, quis ſibi firma polliceri
Poteſt? quid ſtabile, aut diu futurum?
Mores ingenui malo veneno

Prauorum inficiuntur ; & cupita
Nuper mox pueri leues relinquunt.
Cerei vitia expetunt ; amicos
Surdis auribus audiunt monentes.
Quid tunc mentis erit patri miſello,
Hæc ſi viderit , audietue facta ?
Quò ſpes illæ abiere ? vanæ , inanes
Torquebunt animum illico , & repente.
Lux euanida vt aſſolet tepentes
Sole inter ſtipulas cito perire,
Et cœli rapido Noto per æquor
Ferri , ſic & imago noſtra rerum .
Fallimur ſpecie boni : nam honores
Mœrores potius vocabis ipſos :
Curas diuitiæ afferunt , ſoporem
Et nobis adimunt , ſtruunt doloſque ,
Telis inuidiæ nimis petitæ .
Qua dulcedine condiuntur ergo
Humana ? omnia felle amariora
Extant : Sic quoque nauſeante prorſus
Palato , & ſtomacho iacemus ægri .

Interim quatimur, ferente nos huc,
Illuc turbine Sortis impotentis:
Culpamus quoque cogitationes
Noſtras: conſilia improbamus: altè
Et rerum varias vices dolemus.
Natus quum careat tuus malis tot,
Quare te exanimabis; et dolore
Te ipſum conficies? At ille Olympi
Iam gaudet ſibi ſedibus beatis.
Illic perpetuis bonis fruetur:
Illic gaudia, iubilantiumque
Plauſus audit, & inſpicit piorum
Cœtus: aſſociatus hiſce geſtit,
Regi cœlicolum nouo canore
Laudes pangere; dulcibus modiſque
Gratias agit, arcibus quòd altis
Non mortalia, non caduca cernens,
Vitæ tempora tranſigat beate.
Ne nimis doleas amice dulcis,
Neue hunc inuideas ſtatum puello
Tuo; qui precibus Deum fatigat

Ut ſolamina præbeat parenti,
Vix deſiderium ſui ferenti.
Eſt datum lacrimis ſatis; ſatisq;
Mœrori: meminiſſe te iuuabit,
Quæ ſunt prodita litteris; legendo
Quæ dudum didiciſti; acutiuſque
Hæc voluens, poteris videre, quantum
Ille fallitur, & nocet ſibi ipſi,
Qui ſpem ponere rebus hiſce curat.
Scripſi hæc ductus amore: nam putaui,
Leuari facilè allocutione
Noſtra poſſe animum tuum moleſtÿs.
Eris fortior in quibus ferendis
Iiſdem tu miſer eſſe ni recuſes.
Vale, amaq; tuum CERVTVM; amaris
A quo tu quoq; plurimum MIDANE.

Ex ædibus xv. Kal. Febru.

CIↃ IↃ LXXXVIII.

Ut ſolamina prœbeat parenti,
Vix deſiderium ſui ferenti.
Eſt datum lacrimis ſatis; ſatisq;
Mœrori: meminiſſe te iuuabit,
Quœ ſunt prodita litteris; legendo
Quœ dudum didiciſti; acutiuſque
Hœc voluens, poteris videre, quantum
Ille fallitur; & nocet ſibi ipſi,
Qui ſpem ponere rebus hiſce curat.
Scripſi hœc ductus amore: nam putaui,
Leuari facilè allocutione
Noſtra poſſe animum tuum moleſtijs.
Eris fortior in quibus ferendis
Iiſdem tu miſer eſſe ni recuſes.
Vale, amaq; tuum CERVTVM; amaris
A quo tu quoq; plurimum MIDANE.

Ex œdibus xv. Kal. Febru.

cIↃ IↃ LXXXVIII.